



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. An aliquis possit esse Judex, sive Ecclesiasticus, sive sive sæcularis,  
& judicare in causa propria?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Laicis pertinent. iudicare, ad non confundendas, & perturbandas iurisdictiones, quod sine iniuria fieri non potest. *Cap. Novit. 13. h. tit.* Nisi crimina mixti forent, ubi daretur etiam preventionis locus, aut per viam denuntiationis Evangelicæ procedendum esset, circa peccatum mortale subditi iurisdictioni Ecclesiasticæ, prout sumitur ex *cit. cap. Novit.* Possunt tamen ex commissione Principis secularis causas etiam profanas inter Laicos iudicare *Cap. inter dilectos 6. De fide instrum.* & in casu negligentium Magistratum Civilium, cum iurisdictione etiam circa secularia absolute negata non sit Ecclesiasticis personis, sicuti Laicis negata est iurisdictione circa causas spirituales & personas Ecclesiasticas, &c.

## §. III.

*An aliquis possit esse Iudex, sive Ecclesiasticus, sive secularis, & iudicare in causa propria?*

Quamvis ob plenitudinem potestatis & presumptionem æquitatis supremi Principes in causis propriis, quæ ipsos inter, & eorum subditos moventur, vel de iniuriis sibi illatis Iudices esse possint, *L. Et hoc 41 ff. De hered. Instit. & L. Un. Cod. Si quis imperat. maledix.* prout etiam ex *Cap. Cum venissent 12. h. tit.* colligitur, consultius tamen, & æquitati naturali conformius constituet Princeps talis, in talibus causis, arbitros, aut iudices alios, qui jus dicant, quod etiam hodie passim practicatur. Inferior tamen supremo Principe Iudex esse potest, aut jus sibi dicere, ut habetur in *L. V. Cod. Ne quis in sua causa, &c.* Cum Iudex quasi

media persona ad dirimendam litem inter Actorem & Reum ordinariè esse debeat, nisi factum seu iniuria Iudici facta notoria sit, ut vi juris certam poenam statuentis, quoad publicam vindictam, sine alio processu puniri possit nocens, cum in tali casu non tam ut Iudex, quam ut Juris executor procedere censeatur; aut nisi Episcopus v. g. in causa ad suam Ecclesiam principaliter spectante iudicet, quo in casu, si non recusetur, validè pronuntiabit; aut nisi Iudex in casu, quo rationabiliter dubitatur, an sua sit iurisdictione cognoscat, ac iudicet suam esse iurisdictionem, cum in tali casu non tam in propriam utilitatem directè iudicet, quod prohibitum est, dum prohibetur, ne quis in sua causa Iudex esse possit, quàm ob bonum commune, ut ordinario suo officio fungi possit; ita tamen, ut si contra talem iudicem excipiatur, quod inhabilis v. g. ad iudicandum sit, ad Superiorem recurri debeat, de tali enim exceptione aut reculatione non potest inferior Iudex, cui hæc inhabilitas objicitur, iudicare.

## §. IV.

*An Iudex, qui cognoscit de causa possessionis, semper & necessariò cognoscere, seu iudicare debeat etiam de causa proprietatis?*

Ordinariè & regulariter, si Reus & Actor sint ejusdem fori, coram eodem Iudice causa possessionis & proprietatis tractanda, & terminanda est, prout habetur ex *Cap. fin. h. tit.* & pluribus infra explicabitur in Tit. de Causa possessionis & proprietatis.